

li mortem, sed senectutem, ut Romanis manus darent; ante scilicet belli finem, quem sane expectassent, si non necessitas, at infidelitas, illos ad Poenos trajecisset. Post hæc autem, ait Livius, nihil amplius ab Hannibale aëtum in Italia. *Nihil certe ultra rei in Italia ab Hannibale gestum;* ac proinde hic ultimus Brutiarum urbium ad Romanos reditus, quem quidem non vis, non necessitas, sed voluntas movit, amor impulit, fides perfecit.

§. VII.

*M. Catonis testimonium, quo A. Gellius
utitur, examinatur, & quantæ sit
auctoritatis ad rem probandam
quam intendit, ostenditur.*

M Porcius Cato, Censorius, patria Tusculanus, civitate Romanus, Tribunus militum in Sicilia, & Consul Romanus, natus est an. U.C. 519., Mundi 3716., ante Christum 232., ait Thomas-Pope Blount, in Censura celebriorum Auctorum. Ex Cornelio Nepote, ab adolescentia confecit orationes, senex historias scribere instituit, quarum sunt libri septem. Fertur etiam scripsisse de Originibus; attamen Vossius de Historicis Latinis observat: *Iulis Originibus, quas pro Catonianis obtrudere nobis voluit Annus Viterbiensis,* nihil profecto inficeius, Catoneque indignius; eam impostaram, non multo postquam in lucem prodierant, *Sabellicus vidit, Enneadis 10. lib. 2., item Faber Stapulensis, Vives, B. Rhenanus, atque alii.* Et ex Panvinio lib. 1. antiquit. Veronensi. c. 9. apud Blount, habemus: